

Christi procedebat in esse moris ab illo supposito infinito, qua ratione etiam ab auctoribus oppositæ sententiæ conceditur, quod licet esset actio mere naturalis, esset infiniti valoris, et meriti, eo quod a tali supposito infinito procederet; ergo similiter si esset mala, et peccatum in esse moris, necessario tribuenda esset supposito, quod implicat.

XXIII. Ex dictis sequitur primo, quod licet in ordine ad humanitatem, et ejus operationes consideratas in esse naturæ per accidens se habeat, quod suppositum sit hujus, vel alterius naturæ, tamen in ordine ad operationes consideratas in esse moris, non per accidens, sed per se concurrat suppositum.

XXIV. Sequitur secundo, unionem hypostaticam mediante qua humanitas conjungit secundum se ipsi regulæ rectæ operationis, esse necessario principium radicale totius rectitudinis moralis operationum ejus, ita ut ratione talis unionis sit taliter gratus Christus Deo, ut nullatenus habere possit in natura assumpta actiones inimici. De quo videantur, quæ supra diximus quæst. VII, art. I, dubio secundo.

XXV. Ultimo probatur, nam adveniente gratia unionis implicat intelligi aliquo modo peccatum in humanitate Christi; ergo. Antecedens probatur, nam ut D. Damascenus ait libro III de fide, cap. XIX, et alii sancti patres, per gratiam unionis mansit deificata tota natura humana Christi, et quidquid in illa erat, et ad modum, quo ferrum igne penetratur, ipsa deitate perfunditur, et sanctificatur, et tamquam unguento ungitur; ergo ex vi talis unionis hypostaticæ actiones ipsius humanitatis non possunt non esse dignæ coram Deo, et ei gratissimæ, atque adeo nulla potuit esse peccaminosa.

XXVI. Confirmatur, quia ex vi so-

lius unionis hypostaticæ natura humana Christi est infinite grata Deo personaliter, et infinito quodam modo dilecta Deo, et non quodammodo magis repugnaret Christum contrahere originale, quia originale non datur animæ ex aliqua actione sua, sed quia producit in ordine ad tale suppositum quod in Christo est Deus ipse; ergo eo ipso quod talis unio fuerit facta, quodlibet peccatum, sive originale, sive actuale ante unionem contractum (in casu quod illud ante unionem habuisset) aboleretur, alias tale peccatum esset etiam suppositi, quod implicat.

XXVII. Ex hac ultima ratione deducitur, quod natura humana a Verbo assumpta, quamvis antea fuisset in proprio supposito cum tali peccato originali, aut actuali, ipsa unione hypostatica nullo superaddito mundaretur, et nullus etiam remaneret in illa habitus vitiosus ad malum inclinans, sicut solet reperiri in hominibus justificatis, quia talis habitus pravus potest compati cum gratia habituali, non tamen cum supposito infinito terminante naturam humanam per unionem hypostaticam, quidquid in contrarium dicit Vazquez capite VII, §. Postremo sequitur, etc.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVIII. Primo arguitur pro sententia affirmativa argumento Durandi: Quia potentia illa, quæ non est perfectior alia in ratione actus primi, seu in essendo, non est perfectior in ratione actus secundi, seu in operando; sed si assumpsisset Verbum humanam naturam (ut assumere potuit de potentia Dei absoluta, omni auxilio, et dono supernaturali destitutam cum solis proprietatibus naturalibus) non esset perfectior in ratione actus primi, quam

nostra; ergo neque esset perfectior in ratione actus secundi. Consequentia est nota cum majori, quia actus secundus sequitur primum; et minor probatur, quia tunc humanitas Christi nullum haberet donum supernaturale, ut supponimus, imo nec haberet existentiam divinam, sed tantum propriam; ergo in ratione actus primi non esset perfectior humanitas Christi, quam nostra, et consequenter cum nostra peccatum admittere possit, etiam admittere posset Christus in illo casu.

XXIX. Confirmatur primo, quia reliqua infima, et objecta non minus conveniunt naturæ humanæ assumptæ a Verbo, quam si esset in proprio supposito, ut puta mors, fames, sitis, etc. ergo eadem ratione posset de potentia Dei absoluta reperiri in Christo peccatum. Patet consequentia, quia quamvis Deus sit summa vita, potest mori in natura humana; ergo etiam si sit summa bonitas; poterit admittere malitiam peccati.

XXX. Confirmatur secundo, quia Christus Dominus (ut dicemus infra quæst. XVIII, art. IV) habuit liberum arbitrium; ergo potuit peccare. Patet consequentia, nam de ratione liberi arbitrii est indifferentia circa ea, quæ agenda sunt, quæ vocatur quantum ad specificationem, ita ut possit eligere, aut bonum, aut pro sua libertate malum, ut in nobis contingit, alias Christus esset necessitatus ad eligendum bonum semper.

XXXI. Respondetur, quod quamvis natura humana Christi, non sit perfectior in ratione essentiali, et specifica, quam aliæ naturæ humanæ, eo quod essentialiter consistunt in indivisibili, est tamen perfectior in ratione actus primi, secundum quod conjungitur subsistentiæ, et existentia increata Verbi, qua ratione, et operationes inde secutæ sunt in esse moris in infinitum multo perfectio-

res, quam nostræ, unde nec exercere potest peccaminosam actionem, quia illa a tali supposito nequit produci ut quod.

XXXII. Ad primam confirmationem respondetur esse maxime disparatam rationem de peccato ex una parte; et de morte, fame, et siti ex altera, quoniam hæc pertinent solum ad malum pœnæ, et ordinari possunt ad bonum finem, et sic possunt esse volita a Deo, atque adeo illi non repugnat mori in natura assumpta, quamvis repugnet mori in natura propria. At peccatum cum sit malum culpæ, et per se ordinari nequeat ad bonum, non potest esse volitum a Deo, quare si in natura assumpta voluisset peccatum, jam ipsa divina voluntas a regula rationis deviare, quod est impossibile; mors ergo naturæ humanæ etiam prout unitæ Verbo non repugnat, quia est privatio vitæ humanæ. At peccatum omnino repugnat rationibus supra dictis, et quia eo ipso quod sit contra rationem rectam humanam, est etiam contra ipsum Deum.

XXXIII. Ad secundam confirmationem respondetur negando consequentiam, nam de ratione liberi arbitrii non est indifferentia ad peccandum, et non peccandum, ut patet in Deo, in quo est liberum arbitrium, et simul impotentia peccandi, ut est communis doctrina tam D. Thomæ in III, dist. XII, quæst. II, art. II, quam omnium theologorum; ad libertatem ergo non requiritur indifferentia quoad specificationem, quæ vocatur contrarietatis, ad bonum scilicet et ad malum contrarium, sed sufficit indifferentia circa bonum quæ dicitur libertas contradictionis, quia absolute potest efficere, aut non efficere actum bonum hic et nunc sub illis circumstantiis, quod in Christo reperitur.

XXXIV. Secundo arguitur: Quia



si propter aliquam rationem Christus in natura assumpta peccare non posset, maxime quia tale peccatum tribueretur supposito divino; sed hoc non est necessarium; ergo bene potest de potentia Dei absoluta reperiri in Christo peccatum. Consequentia cum majori nota est; et minor probatur primo, quia si assumeret Verbum naturam ignis, naturaliter combureret quod sibi esset applicatum, sive detrimentum sequeretur proximo, sive non; ergo supposito quod naturam humanam potuit assumere omni scientia orbatam et dono supernaturali quolibet destitutam, posset illa naturaliter operari, sive cum detrimento proximi sive sine illo, atque adeo peccaret. Secundo probatur eadem minor, quia si per impossibile daremus Angelum unitum fuisse hypostaticè naturæ humanæ, quamvis tali natura humana peccaret, non tribueretur Angelo tale peccatum; ergo nec etiam si peccaret natura humana Christi tale peccatum tribui posset divino supposito.

XXXV. Confirmatur primo, quia licet voluntas humana Christi peccaret, non sequeretur peccare voluntatem divinam; ergo posset esse in humana natura Christi peccatum absque eo quod Verbo tribueretur. Antecedens probatur primo, quia voluntas Verbi est communis Patri, et Spiritui sancto, sed ex hoc quod voluntas humana Christi peccaret, non sequeretur peccare voluntatem divinam Patris, aut Spiritus sancti; ergo nec etiam voluntas divina Verbi. Secundo probatur idem antecedens, quia voluntas divina Verbi non tenebatur aliquo præcepto vitare peccatum naturæ humanæ, quia incapax est præcepti; ergo non tenebatur in omnibus dirigere voluntatem humanam, et consequenter quamvis ista peccaret, non imputaretur Verbo.

XXXVI. Confirmatur secundo, quia voluntas divina potest permittere peccatum humanæ naturæ absque eo quod illi imputetur tale peccatum; ergo de potentia absoluta Dei voluntas humana Christi peccare posset. Antecedens probatur, quia permittere peccatum non est intrinsece malum, cum omnia peccata Deus permittat; ergo licet divina voluntas Christi peccatum permitteret in natura humana, non imputaretur illi peccatum, præcipue si fieret hæc permissio ex aliquo honesto fine ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, aut ad hoc quod in abundantiori gratia resurgeret.

XXXVII. Respondetur negando minorem. Et ad primam probationem respondetur, quod si Verbum assumeret naturam ignis, certum est quod actiones naturæ ignis quatenus ab illa procederent, non essent bonæ, nec malæ moraliter, tunc enim ignis damnificaret physice, non moraliter, atque adeo non esset capax virtutis, aut vitii. Si autem tunc combureret cum detrimento proximi per voluntatem divinam, non esset hoc peccatum, quia Deus bene potest bona auferre a quolibet sine eo quod illi peccatum imputetur, cum sit Dominus universalissimus omnium, imo hoc ipsum posset facere voluntas humana Christi ex mandato Dei absque peccato, sicut ex illo Abraham occidere voluit innocentem; absque tali autem mandato Dei natura humana unita Verbo non poterat damnificare proximum, neque aliud peccatum committere, quia cum esset natura capax peccati absque dubio imputaretur illi, et consequenter ipsi supposito, et ideo licet natura illa esset omni scientia orбата, a Verbo dirigeretur in actionibus ne peccaret.

XXXVIII. Ad secundam probationem minoris respondetur, quod in

casu impossibili, quod Angelus assumeret naturam humanam, etiam peccaret peccante tali natura tamquam suppositum ejus, et sic magis confirmatur nostra sententia. Verum autem est, quod cum ex impossibili sequatur quodlibet, etiam sequeretur quod Angelus non ita teneretur omnes in universum actiones, et motus humanitatis dirigere sicut Verbum, quia cum sit finitæ, et limitatæ virtutis, illud non posset facere. De hoc videatur magister Vincentius in sua relectione, pagina 34, §. II Negatur, etc.

XXXIX. Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens, et ad primam probationem ejus dico, quod voluntas divina licet communis sit Patri, Filio, et Spiritui sancto, tamen ita se habebat ac si propria esset ipsius Verbi, et ita per illam movet, et applicat voluntatem humanam ad operandum; atque adeo si voluntas humana peccaret, voluntati divinæ tribueretur, et specialiter tale peccatum tribueretur supposito Verbi, non autem Patris, aut Spiritus sancti.

XL. Ad secundam probationem antecedentis respondetur, quod licet voluntas divina non subderetur alicui legi, aut legislatori, ut voluntatem humanam dirigere teneretur ex aliquo præcepto, tamen ex natura ipsius voluntatis divinæ provenit, ut non possit relinquere voluntatem humanam, ita ut in suis operationibus erret, sed semper illam applicaret ad operandum bonum, et quia tales operationes supposito divino essent tribuendæ tamquam elicenti illas ut quod, et consequenter ea ratione, qua Deus ex natura sua est impeccabilis ab intrinseco, quia est ipsa regula rectæ operationis, non admittere posset peccatum in natura assumpta.

XLI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod permittere

peccatum secundum se non est intrinsece malum, et ita Deus omnia peccata permittit; tamen si natura humana Christi peccaret, peccatum illud non solum esset permissum a supposito divino Verbi, sed etiam volitum, quod est omnino impossibile, nam omnes actiones humanitatis præveniebantur, et dirigebantur a supposito illo, et ab eodem procedebant tamquam a principio quod.

XLII. Tertio arguitur: Nam Verbum divinum assumere potuit naturam humanam existentem, et subsistentem antea in suo naturali supposito, quod est certissimum, in qua quidem natura, et reperiri posset peccatum originale, quod per originem ab Adam traducitur, imo et peccata actualia in tali natura possent esse, sed non erat necessarium ut in eodem instanti, quo talis natura assumeretur ad unionem hypostaticam, mundaretur a prædictis peccatis; ergo post unionem posset esse cum illis, atque adeo natura humana unita Verbo posset habere peccatum. Consequentia est bona, et minor probatur, quia licet illa natura titulo unionis hypostaticæ esset grata Deo, nihilominus alia ratione propter peccata non dimissa posset esse digna odio, quia peccatum, et gratia unionis, nec sunt inter se contraria, neque opposita private; ergo possunt compati in eadem natura simul ad modum, quo aliqui theologi asserunt posse fieri de potentia Dei absoluta, ut in eadem anima reperiat et qualitas gratiæ habitualis, et simul malitiæ peccati.

XLIII. Confirmatur, nam dato, quod in casu argumenti ex vi ipsius unionis hypostaticæ peccata dimitterentur, adhuc esset verum dicere: Hic homo, demonstrato Christo, commisit peccatum; ergo illud non repugnat committere in natura assumpta. Antecedens probatur, nam



ex eo quod suppositum Verbi fuit ante mundi constitutionem, quamvis non fuerit pro tunc ipsa humanitas, est verum dicere: Hic homo, demonstrato Christo, creavit mundum; ergo eadem ratione, qua natura humana commisit peccatum in proprio supposito ante assumptionem, potuit dici: Hic homo, demonstrato Christo, peccatum commisit, si quidem idem homo est, sive humanitas sit in isto, sive in illo supposito.

XLIV. Confirmatur secundo, quia in intellectu illius humanitatis existentis in proprio supposito reperiri potuit iudicium practicum efficax alicujus peccati, verbi gratia, mendacium est dicendum, et illud præcipere voluntati, et in illo instanti in quo voluntas consentire vellet, potuit assumi a divino Verbo; sed dari non potest, quod stante iudicio practico efficaci ex parte intellectus voluntas non assentiatur; ergo posset jam voluntas naturæ assumptæ velle efficaciter mentiri.

XLV. Nec sufficit dicere, quod in instanti assumptionis naturæ humanæ a Verbo jam destrueretur illud iudicium ex parte intellectus. Non inquam sufficit, quia ad hoc ut voluntas illud exequatur non est necessarium, quod simul in eodem instanti sint, sed sufficit, quod toto tempore antecedenti consensum voluntatis fuerit, ut in nobis contingit; prius enim intellectus imperat, et postea voluntas consensum præbet.

XLVI. Ad tertium argumentum respondetur negando minorem, et ad probationem dico, quod magis repugnat peccatum cum gratia unionis, quam cum gratia habituali, quia licet peccatum non opponatur proprie loquendo contrarie, aut privative ipsi gratiæ unionis, quia est suo modo substantia, cui nihil est contrarium, nihilominus

quia gratia unionis ipsam humanitatem facit personaliter gratam, repugnat quod in natura, quæ tali personalitate subsistit, reperitur peccatum, quia illa operari non posset sine concursu talis suppositi.

XLVII. Ultra hoc autem reperitur differentia inter gratiam unionis et gratiam habitualem, quod gratia habitualis non constituit suppositum, sed advenit supposito jam constituto, et ita non facit hominem gratum personaliter, sicut gratia unionis, et ideo non est necessarium, quod omne opus hominis iusti, præsertim in hac vita, tribuatur ipsi gratiæ habituali, ita ut ab ipsa originetur, ut patet manifeste in peccato veniali, quod a gratia habituali non oritur, sed a supposito operante præter regulas divinæ legis. At gratia unionis cum constituat suppositum est principium omnium operationum naturæ suppositæ, quare cum omnino repugnet a tali supposito procedere opus aliquod inordinatum, aut contra rationis regulam ob istam causam, talem habet gratia unionis oppositionem cum peccato, quod in casu argumenti, eo ipso quod natura illa assumeretur a Verbo, mundaretur omnino a qualibet culpa originali, aut mortali, sive habituali, et personaliter grata Deo remaneret.

XLVIII. Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens, et ad probationem dicimus, quod ista propositio: Hic homo, demonstrato Christo, aliquando commisit peccatum, esset falsa etiam in casu argumenti, quia peccatum illius naturæ commissum fuit ab altero supposito, in quo antea natura illa fuerat. Non est autem simile de altera propositione: Hic homo, demonstrato Christo, creavit mundum, quia hæc verissima est, eo quod illudmet suppositum, quod

modo subsistit in natura humana est, et fuit quod creavit mundum.

XLIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in instanti assumptionis humanæ naturæ a Verbo destrueretur iudicium illud, quod toto tempore præcedenti extiterat in intellectu illius naturæ, et sic voluntas illud non sequeretur. In nobis autem non sic contingit, quia eo ipso, quod præcessisset tale iudicium efficax non retractatum, sequeretur illud voluntas naturaliter, quia nobis non repugnat peccatum, cum autem Christo repugnet, nec in voluntate humana prava aliqua affectio, nec in intellectu humano pravum iudicium reperiri potest.

L. Excluso jam peccato a Christo Domino inquirere opus est, an sit in illo aliqua inclinatio ad illud ex parte sensitiva, unde subditur.

## ARTICULUS II.

### *Utrum in Christo fuerit fomes peccati?*

I. Conclusio est negativa. Ut littera hujus articuli intelligatur, necessario præsupponendum est prius quid sit fomes peccati, ut inde determinemus, an fuerit in Christo, vel non. De hac re Durandus in III, dist. III, quæst. III, num. VI, asserit fomitem peccati nihil aliud esse, quam ipsemet appetitus sensitivus: quare affirmat se nullatenus intelligere quomodo manente appetitu sensitivo possit fomes peccati auferri.

II. Et probari potest hæc sententia, quia fomes peccati vere dicitur esse in pueris ante usum rationis, et in hominibus dormientibus; sed in istis nihil potest excogitari, quod sit fomes peccati, nisi ipse appetitus

sensitivus vehementer inclinans ad bonum sensibile, cum in eisdem non reperiatur rebellio talis appetitus contra rationem; ergo fomes peccati solum est ipse appetitus sensitivus.

III. Hæc tamen doctrina Durandi nullatenus sustineri potest, quia si fomes peccati non esset aliud, quam appetitus sensitivus, necessario concedendum esset fomitem peccati fuisse in Adamo in statu innocentiae, et semper fuisse in Beatissima Virgine, et in beatis, et quod majus est etiam in Christo Domino: consequens autem est valde absurdum; imo loquendo de Christo videtur erroneum, ut constabit ex dictis infra; ergo, etc. Sequela probatur, quia in omnibus annumeratis in antecedenti negari non potest, quod sit appetitus sensitivus.

IV. Et confirmatur hoc ipsum, quia alias sequeretur fomitem peccati non esse effectum peccati originalis, sed proprietatem naturæ, quia appetitus sensitivus proprietas naturæ humanæ est. Consequens autem est contra doctrinam Concilii Tridentini sessione V, canone V, ubi expresse dicitur fomitem esse ex peccato originali, et ad agonem relinqui in hominibus baptizatis. Sententia ergo Durandi nullatenus sustineri potest. Unde ad ejus fundamentum respondetur fomitem esse in pueris ante usum rationis, et in dormientibus, in quibus non tantum non est appetitus sensitivus, sed etiam privatio justitiæ originalis, atque adeo in illis est fomes peccati in actu primo, et quidem fomes magis proprie accipitur pro concupiscentia habituali, quam actuali, juxta doctrinam D. Thomæ infra quæstione XXVII, articulo III.

V. Alii autem theologi, quos adducit Suarez disp. XXXIV, sect. V, affirmant peccati fomitem esse morbidam quamdam qualitatem supe-